

## DE PVLVERIS

## SEV

MEDICINÆ PHILOSOPHORVM AC AVRI  
 POTABILIS, MIRA, NATVRALI, OCCVLTA, AC DI-  
 uina vi, actione, & operatione in tria rerum genera,  
 animale, vegetale, & mi-  
 nerale.

## CAPVT TERTIVM.

**P**VLVIS ille Chemicus, siue lapidem philosophicum, si-  
 ue salem fusilem, siue sulphur, siue Elixir, siue medicinam,  
 siue aurum potabile appelles, miram certe vim habet in  
 tria rerum genera, animale, vegetale, & minerale. Vnde vete-  
 res philosophi, animale, vegetale, & minerale esse dixe-  
 runt. Nonnulli enim appellant animale, quia animam &  
 spiritum habet: vel, quia aqua est anima eius & vita, quæ cor-  
 pus seu terram viuificat & nutrit. Vegetalem, quia vigescit, a-  
 litur, & vegetatur appositue, crescitque siue multiplicatur,  
 aut virtute, aut quantitate. Mineralem, quia à mineralibus  
 extrahitur.

Quare di-  
 ctus est a-  
 nimalis,  
 vegetalis  
 & mine-  
 ralis.  
 Multipli-  
 catio du-  
 plex.

In animale quidem. Nam omne animal, siue hominem,  
 siue brutum, ægrum intrinsecus vel extrinsecus, ad sanitatem  
 breuissimo tempore restituit. Quia qualitates primas, si-  
 ue elementa ipsa, quæ à naturali symmetria deflectunt, & a-  
 ctiones labefactatas, humoresque peccantes intempera-  
 mentorum ac corruptionis causas, siue internas & à se, si-  
 ue extrinsecus incidentes, ad naturam suam reducit. Est e-  
 nim fere incorruptibilis, temperata per elementa ipsa purifi-  
 cata, & secreta à facibus quatuor elementorum, quæ sunt  
 corruptionis causa potissima: ideo temperatum corpus, &  
 sanum efficit, veluti spiritus vitæ, cuius vi, & ope, na-  
 tura digerit indigestibile, & omne indigestum educit, o-  
 mnes qualitates superuacuas & peccantes abscindit, spiritum  
 viuificat, molle indurat, durum mollificat, spissum rare-  
 facit,

B 2

facit,